



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

29. In eodem de Euang. Ioann. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

Et apparuerunt dispersit & lingua super sin. 3.
gulos tanquam ignis, & ceperunt loqui va-
riis linguis. Considera, sicut quando domus
intus ardet, ignis erumpit per fenestras &
tectum, sic, quando cor Apostolorum erat
accensū Spiritu sancto, ignis erupit per ca-
pita eorum; quia Spiritus sanctus, sicut nec
ignis, potest esse otiosus. vt discas, non ha-
bete te Spiritum sanctum, nisi quando bo-
nis & sanctis propositis animi, respondent
opera. Bonus enim homo de thesauro cor-
dis sui profert bona ait Christus Luc. 6. Et
ideo Apostoli igne illo accensi, nō amplius
rimuerunt, sed egressi cœnaculo palam o-
mnibus Christum annunciarunt, ita vt pu-
tarentur ebrij.

II. MEDITATIO DE EVANG.

Si quis diligit me. Ioan. 14.

CHRISTVS dixit discipulis. *Si quis diligit*
me, sermonem meum seruabit: & Pater
meus diliget eum, & ad eum veniemus, &
mansionem apud eum faciemus. Considera
miram caritatē Christi, imo totius S. Tri-
nitatis erga nos, licet peccatores & indi-
gnos; quod pro exigua dilectione nostra,
vicissim velit nos diligere, ad nos quasi cœ-
lo re-

82 MEDITATIONES IN

lo relicto venire, nobiscu colloqui, cōuer-
fari; & manere, modo à peccato mortali,
quo solo repellitur, abstineamus. 2. incre-
dibilē cæcitatē nostrā, quod tam facile ser-
monē & mandata eius, cū grauiā non sint
teste S. Ioāne, præuaricemur, & calce quasi
S. Trinitatē ex domo cordis nostri eiicia-
mus. cum nō solū mandata, sed etiā consi-
lia omnia Christi præstare deberemus, vt
gratiam tanto beneficio rependeremus.

1. Io. 5.

2. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vo-
bis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.*
Considera pacem nato Christo nunciatā
ab angelis, nunc verò testamenti loco eam
Christū relinquere discipulis, & post resur-
rectionē eandē illis congregatis precatū.
q̄a pax est genuinus effectus caritatis Dei
& proximi, ex qua tota lex pendet & pro-
pheta. 2. Christum relinquere pacem, non
mundi, neq; carnis, sed Dei & Spiritus, quæ
triplex est. Vna cum Deo, quando cauemus
peccata, quæ sola faciunt nos Deo inimi-
cos. Altera, nobiscum, quando caro obedit
rationi & spiritui, & conscientia est quie-
ta. Tertia cū proximo, quando iniurias no-
bis factas ignoscimus. eiq; facimus, q̄ no-
bis factū vellemus. Mūdi pax est cōraria

3. *Venit Princeps mundi huius, & in me non
habet*

DOMIN. TOTIVS ANNI. 63

habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Considera, principē mundi, id est diabolum, qui est princeps omnium malorum nihil potuisse contra Christum, quia nullum in eo peccatū fuit, ut discas eundem minus iuris habere in te, quo purior à peccato fueris. 2. nota Christum loqui de mandato quod habuit redimendi nos per passionem: tantus enim amor fuit in illo obedientiæ, ut non solum voluerit pati pro nobis ex caritate, sed etiam optarit id sibi mandari. Vnde S. Bernard. ait, eum perdidisse vitā, ne perderet obedientiam. *Ad mil. templi c. 13.*

FERIA II. POST PENTECOST.

Sic Deus dilexit mundum. Ioan. 3.

Iesus dixit Nicodemo. (*Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*) Considera non vulgarem, sed ineffabilē fuisse dilectionē Patris erga nos, quod dederit nobis filiū suū. primò enim hoc ipso dedit donum infinitū, & quo maius dare nō potuit, quia dedit Deū, imò seipsum 2. ita dedit ut nō tantū homo haberet Deū; sicut angeli sancti habent Deū, sed